

Melissa

EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Editrix responsalis: Diana LICOPPE -avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan -1040 BRUXELLIS
TEL:02/734 55 42

LATINA ACROASIS IN SEDE COMMUNITATIS EUROPAEAE

Bruxellis, circa Rotundam Plateam Schumanianam eriguntur magna Communitatum Europaeorum aedificia, ubi cottidie plus quam decem milia hominum laborare solent. Exeunte tamen septimana, omnia graphea ministris sunt vacua et platea est fere deserta; maximae agitationi succedit mira tranquillitas.

Saturni die 14° m. Martii, hora circiter sexta postmeridiana, insolita hominum turba confluit in aedificium, ad angulum viae Cortenberghensis situm, inter quos Societatis Latinae sodales, qui, dimisso annuo consessu, pedibus et gregatim, una cum Thoma Pëkkanen, adveniunt.


Certe lectoribus nostris non latet causa huius concursus: Thomae Pëkkanen acroasis de KALEVALA LATINA.

Limine intrato, invitati in septimum tabulatum anðbathris tolluntur, ubi in magnum oecum nobis tributum ducuntur. Auditores sedent ad mensas in quadris parallelis formatas et singuli in promptu bina auscultatra habent, quibus, si lubet, acroasis translationem simultaneam in Francogallicum vel


Nederlandicum sermonem audire poterunt. In aditu distribuuntur programmata, ubi, simul Latine et Francogallice vel Nederlandice, non tantum enumerantur agenda sed etiam exhibentur Kalevalae versus, quos commentabitur Thomas Pëkkanen.

Plus quam centum homines oecum fere complent, cum Livius Missir Lusignanus, Commissionis Europaeae praepositus, loco impediti Commissarii Europaei, Caroli Ripa di Meana, sessionem aperit verbis inexpectate Latinis, e quibus expiscor haec:

"Omnibus vobis, qui huc convenistis ad eximia Societatis Latinae Foundationisque Melissae invitationem, Carolus, marchio Ripa di Meana, toto corde salutem dicit. Ipse impeditus se excusat, sed laboribus vestris magnam fortunam desiderat. Magnus est vere eventus hodiernae diei, in qua prima ex linguis nostris, lingua procerum nostrorum Europaeorum, sonat in hac sede, dico, Communitatum Europaeorum. Magnum est igitur gaudium nostrum..."



Oeci aspectus inter Thomae Pëkkanen acroasin.



Professores Siltbertus H. Siedl et Väinö Kaukonen, ille lectoribus bene notus, hic de rebus Kalevalanis hodie summus auctor, in Instituto Romano Finlandiae colloquuntur.

Post Livi Missir verba amabilissima, imprimis maximas gratias ago Europaeis praepositis, qui effecerunt ut inceptum nostrum bene succederet, atque saluto Finlandiae legatos, qui adessee dignati sunt; postea, Thomam Pëkkanen brevibus verbis introduco, e quibus haec excerpto: "Nonnulli fortasse mirantur cur Professor Pëkkanen acroasin suam Latine factururus sit. Huic quaestioni responsum invenitur in ipsa Kalevala Latina. Superiore saeculo, divulgatio Kalevalae Finnicae multum adiuvavit Finnos ad singularitatem nationalem suam recuperandam; Kalevala autem Latina testificatur Finnos, supra suam singularitatem, iam diu et adhuc, universalitatem cultus Latini Europaei participare velle."

Cuius universalitatis inexpectatum testimonium ex Russia accepimus: hoc enim telegramma ad nos misit Professor Iacobus Borovski, quod palam legi: "Vivat, valeat Kalevala Latina, ferat ad instar Samponis, humanitatem, felicitatem, amicitiam inter terrae populos. Gratias, omnia fausta, Thomae Pëkkanen poetae, ex voto Iacobi Borovskii Lentinopolitani."

Multo plus de Thoma Pëkkanen scient ei qui eius responsa sub rubrica "Inter eximios Latinitatis Vivae fautores" in hoc numero legent, quam ego ante acroasin dicere potui.

Ipsa acroasis multum videtur auditoribus placuisse, quorum minima pars translatione simultanea usa est. Nimis longum est acroasin in his paginis exhibere, sed eam totam legere poteritis in Voce Latina. Ipse Kalevalae Latinae liber, lautissime editus, peti potest a domo editoria, cuius infra ostendimus inscriptionem cursualem. Totam



acroasin (quin etiam totam sessionem) camera magnetoscopica excepimus.

Post longum plausum, D^r P.C. Eichenseer, Societatis Latinae praeses, sessionem concludit. Auditores, qui eum non noverunt, valde mirantur quod verba Latina de improvviso perfacile facit. Ex eius verbis maioris momenti sententias ad concludendum excerpto: "...sed maxime mirati sumus, quod vir borealis, quod vir septentrionalis huc adventit, ut nos Europaeos occidentales doceret ibi in Finnia, in Finlandia, linguam Latinam adhuc esse vivam, vivam in mentibus studentium, in mentibus magistrorum, in mentibus professorum.

Est res mirabilis, quia in aliis plagis, in aliis regionibus professores multa dicunt de litteris Latinis sed ipso sermone Latino vix utuntur..."

"Et nunc Finni, non iam catholici, ad papam veniunt et ei offerunt carmina Latina ut tandem aliquando ille Polonus percipiat in urbe Roma etiamnunc linguam Latinam esse colendam. Est res valde mirabilis!" (Maximus oritur plausus).

"His temporibus, ubi Europa coalescit, multae difficultates oriuntur ex multis diversitatibus linguarum; in vestra patria Belgica iam sunt quaedam interdum difficultates, sed, si totam Europam spectamus, sunt in Europa septuaginta duae linguae et quis mortalium poterit septuaginta duas linguas discere et addiscere et callere? Ob eam causam fortasse perutile erit redire ad quaedam fundamenta communia et inter fundamenta communia certe numeratur lingua Latina. Numquam somnio ausus essem praecogitare aliquando fieri posse ut huc venirem et vos sermone Latino alloquerer, eodem sermone quo Gaius Iulius Caesar usus est. Sed fieri potuit! Scitis multas expensas pecuniarum fieri propter interpretes omnino necessarios. Si haec eadem summa in linguam Latinam impenderetur, mox ver novum effloresceret, ver inauditum tam in emissionibus radiophonicis, quam in emissionibus televisificis..."

Gaius LICOPPE.



Ioannes Paulus II a delegatione Finno-rum Kalevalam Latinam accipit.

Participes, qui, ut Feriis Latinis Latinitati vivae colendae interessent, imprudenter in Castellum die 23 mensis Augusti 1986 convenerant, scire non poterant, quemcumque diem mensis Augusti vitam suam tam penitus mutaturum esse. Parvus globus hominum utriusque sexus et variis muneribus fungentium, diversis vehiculis (alii autocinetis, alii tramine, alii aeronave, alii pedibus - certe hi spiritum Castello, antequam vitam Castellii experti essent, recte deprehenderant et, ut peregrinantes stricto sensu, illuc se conferre constituerant) separatim sub vesperum venerant. Iter utcumque difficile fuerat, sed, omnibus dubiis fugatis, via lucide fulgenterque apparuerat. Qui tramine et postea autoraeda longa La Crau, in paene ignotum vicum antiquae Romanae Provinciae se contulerant, in Platea Ecclesiae a comitibus Latine loquentibus ilico prospecti, autocineti in Castellum ducti sunt. Qui autocineti suo in Castellum se conferre voluerant, initio viae arboribus ornatae, signa, quae ad Ferias Latinas ducerent, statim invenerunt.

Brevis descriptio legentes aliquantulum adiuvaré poterit, ut saltem de Castello cogitatione aliquid fingant. Antiquum castrum Episcopi (sed nemo Episcopum umquam videre potuit; rumor ortus erat Episcopum pro se vicarium suum misisse et manere, cum, algore confecti, oculis vigiliis tumentibus, in Ecclesiam ibant, participes de hoc inter se continue scilicet loquebantur et, cupidi auctoritatem Ecclesiae videndi, iam pro certo habebant, virum brevibus braciis indutum Episcopi vicarium esse. Sed quomodo hoc esse poterat hunc virum tantum canitie ornatum, quod ceterum maximi momenti est, vicarium Episcopi esse posse? Certe Moderator ad confusionem participum ex industria hoc propagaverat.) Antiquum castrum Episcopi, ut supra dixi, silvis et aequoribus circumdatum primo visu quodcumque castrum videbatur, sed, ut participes, brevibus pausis concessis, silvam cognoscere potuerunt, scilicet multis diebus iis opus fuit, cum unoquoque die aliquantulum explorarent, aliquid insoliti animadverterunt: aves exempli causa omnino deerant -solum cicadae aderant- pro fluminibus erant aquae stagnantes, quamvis liquidae; quae omnia periculoso facino eos illiciebant. Quid autem significare poterant mala diversarum magnitudinum (erant aliqua perparva, quorum alia in arboribus, alia humi erant) nisi participibus non obliviscendum erat a malo malum ortum esse? Certe propositum Moderatoris hunc locum elegantis fuerat, ut participes in tentationem inducerentur, ut, fortiores facti, in perpetuum repellerent. Sed initio clarum non erat de quo genere tentationis ageretur. Quod erat maximum peccatum? Solum paulatim veritas reluxit: multos per dies participes, cum Christiani essent, Catholicam vel Lutheranam confessionem sequentes, quamvis, perculti homines, libros Kafkae clarissimi Bohemici scriptoris, qui semper de ignota culpa tractarent, optime cognoscerent (Paulae venerat in mentem etiam liber Walseri Helvetici scriptoris qui "Jacobus de Gunten" inscribitur) putabant decem praecepta Dei non sequi maximam culpam esse. De hoc cogitabat certe Finnicus Thomas, primo die Feriarum, cum, partibus mutatis, Christinae et Paulae dedit mala, quae eae incaute ederunt. Ferias Latinas in Castello ultima hebdomada mensis

Augusti futuras esse, participes alii alio modo acceperant. Erant qui in Commentariis operis fundati "Latinitas", qui, ut Federicus, in actis diurnis Raeticis certiores facti essent; sed erant qui, ut Bernardus diurnarius, fidi Patri Suitberto manerent, veterani, ut dicam, Feriarum Latinarum. Omnes utcumque ei quod in filio scriptum erat crediderant et interpretati erant ad verbum "Ferias Latinas" esse, quibus participus Latine loquendum esset, sed maximam partem e cantibus, potationibus, prandiis, commercio humanissimorum hominum constare. Moderator Francogallicus machinator contentus erat. Diversae nationes aderant: in primis Francogallici, sed etiam Italici, Belgae, Austriaci, Germanici, quorum unus Godo vocatus, a Sinu Cylipeno Italiam, quasi alteram patriam electam, tandem petiverat. Sed magnum et mirabile erat, esse in Castello etiam unum e regione Finorum quae in extrema parte Europae patet. Is hoc proposito venerat, ut translationem Kalevalae, carminis epici nationis Finorum a se redactam, inter Latine loquentes et Latinistas propagaret; quod maximum obsequium Latinae linguae significabat. Ceteri putabant se recreaturos, novos homines conventuros, paululum in lingua Latina loquenda progressuros esse.

At statim consilii facti sunt, Ferias Latinas ad novam vitam ineundam spectare, una hebdomada, celeriter, quod temporibus hodiernis omnia quam celerrime evenire debent, cum, nisi ita est, homines aliis rebus alliciantur. Haec mutatio, ut spiritualis mutatio quae Graeco verbo *μετάνοια* vocatur, plena mutatio esse debebat, ita ut hominis nihil extaret. Regula strictissima, cui ab omnibus obediendum erat, simillima monasterii videbatur. Tempus diei certo modo dividebatur: citissime expurgandum, si participes Missae Latinae adesse volebant. Hoc erat, aetate nostra saeculari, scilicet "ad libitum"; sed cito omnes intellexerunt quid "ad libitum" in Castello significaret. Si participes post noctem perturbatam (qua oculis apertis cantus Gregorianos vel cantiones kalevalanas memoriae infingere conatus erat -et qualem recreationem poterat somnus praebere, si somnia semper eadem id est verba Latina cum "longis" et "brevibus" quasi incubi fiebant?) "Utopiam" Thomae Mori semisomnus repetens in lecto paulo amplius manserat, certe non exprobrabatur, sed Moderator et, mirabile dictu, ceteri participes, etiam qui superiore die eadem culpa se contaminaverant, ilico animadvertebant, eum non adesse. Post Missam laboriosus dies nuntiabatur tintinnabulo jentaculi, quo prima Latina colloquia incipiebant; sequebantur tres horae et dimidia orationum, discussionum, meditationum; semper consilii gravis culpa, participes, cum viderent solem per fenestras emanare, brevi tempore exhibant permissu a Moderatore rogato. Quodam cum solacio omnes primo die intellexerunt per duas horas et dimidiam, id est a duodecima hora cum dimidia, qua prandium praebebatur, usque ad horam quindecimam se liberos esse. Sed cito clare apparuit sedulo participi, qui Moderatoris voluntati pareret, hoc tempus quoque in meditatione de lingua Latina adhibendum esse. Post "otium" orationes usque ad cenam provehebantur. Quod tempus post cenam attinet, participes solum fide liberi erant. Optime (sequitur p.11)

INTER EXIMIOS LATINITATIS VIVAE FAUTORES THOMAS PEKKANEN

1. Ubi et quando natus es?

Natus sum die 16^o mensis Iulii a^o 1934^o in paroecia Careliae Saari, quae post secundum bellum mondiale limiti Russiae adiacet. Patris mei genitores, avi atavique per saecula in uno eodemque vico paroeciae Rautu vixerunt, quae inter lacum Ladogam et Sinum Finnicum sita nunc ad Russiam pertinet. Progenitores mei paterni maternique agricolae fuerunt, parentes autem scholae magistri. Avus meus paternus, sicut et ceteri eiusdem regionis agricolae, et mercaturam ita exercebat, ut lac aliosque fundi fructus equo Petropolim (hodiernam Leninopolim) transveheret.

2. Ubi studia secundaria fecisti?

Post mondiale bellum, cum tempora incerta essent multis nostratium timentibus, ne Russi totam Finnorum terram occuparent, parentes mei tutius securiusque putabant ex confinio Russorum demigrare. Itaque a^o 1945^o relicta Carelia novum sibi domicilium apud Thornam oppidum (Finnice Tornio) quaesiverunt. Id in faucibus iacet fluminis, quod in Sinum Bothnicum erumpens limitem inter Ostrobothniam Finnorum et regnum Suecorum facit. Thornam est emporium iam Medio Aevo clarissimum, in regione amoenissima situm. Olaus Magnus, ultimus Finnorum Suecorumque archiepiscopus catholicus, in Historia de gentibus septentrionalibus a^o 1555 edito ea loca ita laudat: "Nullae illic tenebrae tempore totius aetatis, nullus ardor solis est, aer salubris et temperatus. Omnia ibi iucunda, quieta et tranquilla." In huius oppidi lyceo maturitatis examine probatus sum iuvenis undeviginti annorum. Neque tamen mihi illis annis schola magnopere placebat. Libentius in Thornam flumine piscabar, hiemali tempore nartabam et patinabam, et, ut est mos iuventutis, pedifolle ludebam, chitarizabam, chorzabam. Eram sicut iam scholares nostri mediaevales, de quibus Latine canitur:

Nec curant studium,
sed discunt chorzare,
incipiunt amare
mundi tripudium.

3. Quando linguam Latinam discere coepisti?

In Lyceo Thornensi variis linguis studui, scilicet Suecicae, Anglicae, Teutiscae, sed non Latinae. Memini tamen me iam primae classis scholarem parvulum cantionem "Ave maris stella" magistro docente et iubente Latine cecinisse, licet verba non intellexerem. Cum magister paene surdus esset, debebamus singuli scholares in cathedram ad eum surgere et cantionem illam in eius aurem alta voce cantare. Valde timebam, sicut ceteri, tamen cantabam. Cantio, quam nominavi, una ex illis est, quae a Medio Aevo usque ad hodierna tempora in scholis Finnorum Latine cantatae sunt, hodie - proh dolor - plerumque verbis Finnicis. Celeberrima est collectio "Piae cantiones ecclesiasticae et scholasticae veterum episcoporum in inclito regno Sueciae, praesertim in Magno Ducatu Finlandiae usurpatae" iam a^o 1582^o Finnis curantibus Greifswaldiae primum edita.

Studia Latina a^o 1955^o, postquam militiam unius anni sustinui incohavi. Constitueram enim, ut in

universitate Helsingiensi linguis peregrinis, imprimis Anglicae, studerem, et tum temporis necesse et obligatorium erat - sicut adhuc est - omnibus linguarum studia exercentibus Latinam linguam discere. Cum militia liberatus essem, primum solus grammaticam et textus Latinos legebam, deinde aestate eiusdem anni Ulam (nobis Oulu) in urbem Ostrobothniae provinciae ad Sinum Bothnicum sitam profectus sum, ut in studio academico linguae Latinae examini me praepararem. Praeceptor meus ibi fuit Pentti Aalto, quocum postea per triginta annos amicitia iunctus variis modis collaboravi.

4. Cur statuisti philologiae classicae studere?

Quamquam iam aestate anni 1955^o examine linguae Latinae studentibus philologiae obligatorio probatus eram, constitui tamen, ut studia Latina in Helsingiensi universitate, in cuius albo nomen autumnus sequenti inscripseram, una cum Anglicis studiis pergerem. Professor litterarum Romanarum erat eo tempore Edwin Linkomies, vir celeberrimus, qui bello mundialis secundo exeunte primus rei publicae Finlandiae minister fuerat. Egregius erat latinista, qui de ablativo absoluto magnum opus Latinum iam a^o 1929^o scripserat. Nos studentes inter nos eum Augustum imperatorem appellabamus, et cum lectiones solemniter pronuntiaret, reverenter silebamus velut in ecclesia essemus. Adhuc triginta post annis sonant in meis auribus praecepta eius et regulae ad syntaxim Latinam pertinentes. Ab eo imprimis linguam Latinam didici, et merae nugae mihi videbantur aliae lectiones, quas audire conabar. Ergo sine mora et dubitatione Anglicis studiis relictis operam dedi litteris Romanis, postea Graecis et Sanscritis. Namque Pentti Aalto, primus meus linguae Latinae praceptor, interea professor linguae Sanscritae factus erat. Censebam linguam Latinae rationem sine studiis Graecis et Sanscritis penitus intellegi non posse, et in his trinis disciplinis lauream a^o 1961^o obtinui. Pro gradu dissertationem de litteris Sanscritis scripsi, quamquam iam tum videram fieri non posse, ut in patria nostra victus ex eis haberetur. Professor Edwin Linkomies iam a^o 1956^o finiente Rector Magnificus, postea a^o 1962^o Cancellarius



Thomas Pekkanen

universitatis factus erat neque lectiones faciebat. Vicarius eius fuit litterarum Romanarum professor Päävö Oksala, qui in lectionibus suis poetas Romanos interpretatus praesertim Catullum, Vergilium et elegiographos et Finnicam linguam egregie vertit. Numquam antea nec postea numerus studentium linguae Latinae tantus fuit quam Professore Oksala cathedram per decem annos habente. Plerumque enim singulas lectiones circiter 150 studentes auscultabant et nullum erat auditorium, quod plures capere potuit.

5. *Quibus muneribus postea functus es?*

Iam ab a° 1957°, ut victum compararem, in quibusdam scholis Helsingiensibus linguam Latinam docui. Statim laureatus in universitate factus sum litterarum Romanarum assistens magister, qui praesertim de Horatio, Petronio, Quintiliano, Tacito circiter viginti singulis septimanis lectiones legebam. Etiam linguam Graecam docebam eos, qui studia Graeca incipiebant. Examina quoque omnis generis plerumque curabam, nam cum studentium numerus tantus esset, professor Oksala, plurimis rebus etiam extra universitatem occupatus, auxilio meo confidere coactus erat.

Eodem tempore etiam cum professore Pentti Aalto collaboravi. Ille enim consilium ceperat, ut omnes fontes Latini ad Eurasiam septentrionalem pertinentes in unum collecti publicarentur. Hic labor difficillimus evasit et eius fructus in duobus voluminibus annis 1975 et 1980 publicavimus (Latin Sources on North-Eastern Eurasia, Asiatische Forschungen 44 et 57, Wiesbaden).

A° 1968° doctor philosophiae factus sum scripta dissertatione nomine aenigmatico "The Ethnic Origin of the Doulosporoi", ubi res ad gentes Europae orientalis Slavicis, Scythicas, Sarmaticas pertinentes stilo haud facili tractavi. Quo opere eam laudem merui, ut in promotionibus sollemnibus anno sequenti celebratis primus facultatis philosophorum doctor in Helsingiensi universitate nominarer; eodem tempore etiam licentiam philologiae classicae docendae accepi et director Instituti Romani Finlandiae designatus sum ad triennium 1969-72.

Iam primo vere anni 1957¹ Romae tres menses fueram, ut rebus epigraphicis et urbis topographiae studerem. Iam tum Italiam Italosque amare coeperam, sed postquam ibi munere trienni functus sum et quandocumque fieri potuerat reverti, eam velut secundam patriam habui. Cum Romae habitarem, in Bibliotheca Vaticana saepissime studebam, veteres fontes ad Eurasiam septentrionalem pertinentes perscrutabar, excursiones cum studentibus Finnis in Latio et Campania faciebam.

In patriam reversus in universitate Helsingiensi vicarius litterarum Romanarum professor aliquantisper fui alisque muneribus sum functus, donec post acerrimam cum quinque collegis competitionem ineunte anno 1975° linguae Latinae universitatis Granivicensis nominatus sum. Granivicus urbs est Mediae Finniae trecenta fere chiliometra ab Helsinki distans, quae Finnicè *Jyväskylä* appellatur. Ibi primus linguae Latinae professor fuerat Päävö Oksala, iam supra laudatus, qui a° 1974° exeunte eodem die et emeritus factus et mortuus est. Munere Granivicensi adhuc fungor, quamquam domicilium in urbe Helsinki habeo et in universitate Helsingiensi singulis septimanis

binas de philologia classica lectiones habeo.

6. *Quando et quibus impellentibus coepisti Latine loqui?*

Professor Edwin Linkomies Helsingiensis Latine loquebatur velut vir vere Romanus. Etiam praedecessores eius litterarum Romanarum Finni professores Latine omnia opera principalia scripserant. Post Academiam Aboensem a° 1640° conditam in Finnia - mirabile dictu - 4748 dissertationes academicae Latine scriptae sunt. Postquam academia Finorum tum unica Aboâ (Finnice *Turku*) in urbem Helsinki iam a. 1828° translata novas a. 1852° regulas cepit, dissertationes academicae etiam Suetice, ab anno 1858° etiam Finnicè scribi poterant. Quo factum est, ut postea Latinas dissertationes nulli nisi litteris Latinis dediti ederent. His temporibus etiam latinistae nostri libentius linguis modernis opera sua componunt. Nihilo minus adhuc a. 1983° in universitate Granivicensi me praeside dissertatio academica doctoralis lingua Latina scripta publicae censurae fuit subiecta.

Professores Linkomies et Oksala seminaria Latina studentibus suis habere solebant, in quibus breves theses Latinae a studentibus scriptae Latine tractabantur. Usus ille Latinus in Helsingiensi universitate decidit, postquam professor Oksala cathedram reliquit et Granivicum transmigravit. In eius seminariis Latine loqui coepi, sed, ut verum dicam, Latina lingua multis annis nisi raro cum collegis latinistis non utebar.

7. *Quomodo novisti Clementem Desessard, quomodo Motum Latinitatis Vivae?*

Clementis filius uxorem duxit, cuius soror nuptiis iuncta est cum doctore Helsingiensi Kerkko Hakulinen. Hic cum prima Kalevalae Latinae specimina publicata vidisset, ea Clementi, socero sororiae, quem acerrimum latinistam cognovit, statim misit. Clemens illis versiculis delectatus nurus sororio rescripsit, qui mihi et litteris et telephonice Clementis gratulationes communicavit. Ergo ipse Clementi scripsi, qui me ad Ferias Latinas Olbienses invitavit. De Vivae Latinitatis Motu antea, studiis meis geographicis et ethnographicis fortasse nimis occupatus, parum novi, quamquam socius sum Academiae Latinitati inter omnes gentes fovendae. Praedecessor meus Granivicensis professor Oksala in conventu Melitensi a. 1973° fuerat et de eo narraverat. Certe in commentariis periodicis de Latinitate viva et eius cultoribus legi, sed ante annum 1986^{um} numquam his conventibus aut seminariis interfui. Neque Melissam prius cognovi quam Clemens mihi eius exemplar misit.

8. *Cur tibi in mentem venit Kalevalam in Latinum vertere? Quando coepisti? Fuitne opus arduum?*

Versiculos Latinos ad animum studiis ethnographicis defessum recreandum iam duodecim annos scribo, quamquam admodum pauca publicavi: gratulationes et salutationes collegis amicis, de rebus personalibus notatu dignis, versiones lyricorum et Graecorum et Finorum et cetera. Ante Kalevalam translata circiter 4000 Latinorum versuum composui, partim metricè, maxime partem rhythmicè. Unum ex primis specimen est carmen valedictorium cellae Granivicensi die 12° m. Mai a. 1976° dedicatum,

(sequitur p.11)

SCIENTIA LATINE

ΜΗΔΕΙΣ ΑΓΕΩΜΕΤΡΗΤΟΣ ΕΙΣΙΤΩ

OS NEWTONIANANUM

Problemata, quae investigationes et explicationes notarum secretiorum aut conversiones textus in lingua ignota scripti attingunt, iam inde ab omni tempore ingenium hominum excitaverunt. In commentatione praesenti agitur de ratione, qua Newtonus formulas et expressiones mathematicas lingua Latina utens enuntiaverit. Commentatio est pars acroasis, quam auctor in Ludis Latinis Frisingensibus habuit.

Novitatem rei experimentum simplex declarat. Lector lexica Latina quaelibet perscrutetur et expressiones mathematicas quaerat. Ne thesaurus maximos quidem ad interrogata simplicia respondere constat (nusquam praecepta, qua ratione symbola mathematica simplicissima - e.g. a^n , $^3\sqrt{2}$ - enuntianda sint, inveniuntur).

Ut enuntiationem Newtonianam amissam restituamus, omnino tres viae nobis patent. Primum Newtonus ipse nobis auctor est: in scriptis suis non solum praecepta ad convertenda problemata mathematica in formam algebraicam, verum etiam -si occasio tulerit- exempla enuntiandi inveniuntur. Deinde et scriptores mathematici alii eiusdem aetatis varia contulerunt; imprimis Iohannis Wallis liber, qui inscribitur "de algebra tractatus", est fons uberrimus. Denique grammatica et regulae enuntiandi ex natura sermonis Latini et compositione formularum mathematicarum explicari possunt.

In tabula I aetates historicae sermonis scientifici mathematici linguae Latinae in brevi conspectu ponuntur. Sunt quattuor aetates, quae partim coniunctae sunt litterarum Latinarum partitione, partim cum historia mathematica contendere possunt.

Deinde regulae enuntiandi symbolis in tabula II explicatis intellegi possunt. Tantummodo symbola maximi momenti collecta sunt. Exempla e variis disciplinis mathematicis (e.g. ex arithmetica, geometria, analysi) sumpta sunt.

Paucis verbis de declinatione verborum numeralium indeterminatorum opus est. Casus genitivus et casus dativus auxilio pronominis "ipse" aut nominum "quantitas", "variabilis", "aggregatum" aut aliorum exprimuntur.

Postremo brevis textus exemplaris commentationis finem facit. Textus mathematicus ex libro sumptus est, quem Newtonus adulescentium mathematicae studiosorum elementis arithmetice instituendorum causa scripsit (arithmetica universalis sive de compositione et resolutione arithmetica liber). Problema geometricum simplex tractatur. Pars sinistra tabulae III textum integrum, pars dextra rationem, qua symbola et expressiones mathematicae enuntiatae sint, continet. Newtonum pronuntiatione restituta non usum esse satis constat.

Prima aetas
(aetas originum)

circiter 500 a. Ch. n.
- 500 p. Ch. n.

Origo mathematicae Romanae.
Lingua Latina fere semper scriptoribus sermo patrius fuit. Formulae non in usu fuerunt. Theoremata per totas sententias expressa sunt.
Scriptores : Epaphroditus, Nipsus.

Alter aetas
(aetas media)

circiter 500 - 1500

Lingua Latina non iam sermo patrius fuit, sed tantum lingua franca, quam vocant. Scriptura formalis syncopata in usu fuit (i.e. sententiis textus mathematici iam symbola et notae mathematicae infuerunt).
Scriptores : Boethius, Alcuinus, Fibonacci (multitudo ingens hominum doctorum)

Tertia aetas
(aetas classica)

circiter 1500 - 1800

Paene omnia scripta scientifica (commentationes, theses doctorales, libri) Latina fuerunt. Termini technici saepissime ex lingua Latina sumpta sunt. Origo scripturae formalis modernae.
Scriptores : Newtonus, Wallis, Cartesius, Gauss (et multi alii)

Quarta aetas
(aetas moderna)

1800 -

Tabula I : Aetates mathematicae.

Scripta mathematica originalia rarissima Latine confecta sunt. Termini technici in Latinum translati sunt. Scriptura formalis perfecte conformata est.

$a = 1$	a aequale est unitati a aequale est numero unum
$x = a$	x aequale est ipsi a
$x = a + b$	x aequale est aggregato a et b
$a \cdot b$	a multiplicatum per b a in b
$a - b$	a minus quantitate b
a°	unitas a ad nullam potestatem elevatum
a^1	radix a
a^2	a in se a quadratum
a^{-2}	unitas divisa per quadratum ipsius a
$a^{3/2}$	radix ex tertia potestate quantitatis a
$\sqrt{2}$	radix quadrata ex numero duo
\sqrt{a}	radix quadrata ex quantitate a

Tabula II : Exemplaria expressionum mathematicarum.

Data recta terminata, BC, a cuius extremitatibus duae rectae, BA, CA ducuntur in datis angulis, ABC, ACB : Invenire AD altitudinem concursus A supra datam BC.

Sit $BC = a$, & $AD = y$; & cum angulus ABD detur, dabitur, ex tabula sinuum vel tangentium, ratio inter lineas AD & BD, quam pone ut d ad e. Est ergo $d:e :: AD (y) BD$. Quare $BD = \frac{ey}{d}$


Similiter, propter datum angulum ACD, dabitur ratio inter AD ac DC, quam pone ut d ad f, & erit $DC = \frac{fy}{d}$

At $BD + DC = BC$, hoc est $\frac{ey}{d} + \frac{fy}{d} = a$.

Quae reducta, multiplicando utramque partem aequationis per d, ac dividendo per $e + f$, evadit $y = \frac{ad}{e + f}$.

(vide fig.)

Tabula III : Textus mathematicus.



BC aequale est ipsi (quantitati) a

ut d ad e ita AD, quod

aequale est ipsi y ad BD

DC aequale est

quantitati f multiplicatae per y et divisae per d

Petrus Hrandek
Vindobonensis



CIRCULVS · LUPIANVS

IN · CAMPONA · AD · VETI · W · W · L · P · W · W ·

VERINAE · AD · L · P · L · W ·

DIE · XVII · MENSIS · MAI ·

ANNO · DOMINI · MC · M · LXXXV · °

FELICITER · CONDITVS

AD IOHANNEM ROTHNER MAGISTRO DESTILLATIONIS
ET INGA PESSARRA MAGISTRA LATINITATIS
ET MARIO ALEXA MAGISTRO LATINITATIS

Ad diem natalem secundum
solemniter celebrandum

CIRCULUS LUPIANUS

omnes amicos
vivae Latinitatis
ex corde invitat

Verinam
in dies XVI et XVII
m. Mai a. 1987°.

Scribe vel telephona
ad

Marium Alexa, Burgstr. 3
D-4712 Werne
(tel. 02389/45334)

vel ad Ingam Pessara
Luisenstr. 9
D-4750 Unna
(tel. 02303/68951).



HEUS, ECQUIS IN VILLAST?
ECQUIS HOC RECLUDIT? ECQUIS
PRODIT?



QUIS EST QUI NOSTRIS TAM
PROTERVE FORIBUS FACIT INIURIAM?



SALVE, ADOLESCENS.
ET TU MULTUM SALVETO,
ADULESCENTULA.




PRO DI IMMORTALES! VENERIS
EFFIGIA HAEC QUIDEM EST. UT IN
OCELLIS HILARITUDO EST; HEIA,
CORPUS CUIUS MODI!



NON EGO SUM POLLUCTA PAGO.
POTIN UT ME ABSTINEAS MANUM?



NUNC QUAM OB REM HUC
SUM MISSA, AMABO, VEL TU
MIHI AIAS VEL NEGES.



QUID NUNC VIS?

HAEC SACERDOS VENERIS HINC
ME PETERE AQUAM IUSSIT A VOBIS.



VF/86 [initials]



AT EGO BASILICUS SUM! QUEM NISI ORAS, GUTTAM NON FERES. NISI MULTIS BLANDITIIS A ME GUTTA NON FIERI POTEST.



IMMO ETIAM TIBI MEA VOLUPTAS, QUAE VOLES FACIAM OMNIA.



DABITUR TIBI AQUA, NE NEQUIQUAM ME AMES. CEDO MI URNAM.

CAPE.



QUID SACERDOTI ME DICAM HIC DEMORATAM DIU?



SED QUID EGO MISERA VIDEO PROCU L IN LITORE?


MEUM ERUM LENONEM SICILIENSEMQUE HOSPITEM, QUOS PERISSE AMBOS MISERA CENSEBAM IN MARI. CONFUGIAM HUC ; ITA RES SUPPETIT SUBITO.



EN TIBI AQUAM, MEA TU BELLIATA! SED UBI TU ES, DELICATA? UBI ES? NUSQUAM HERCLE EQUIDEM ILLAM VIDEO! LUDOS ME FACIT.



METUO HERCLE NE ILLA MULIER MI INSIDIAS LOCET, UT COMPREHENDAR CUM SACRA URNA VENERIA. IAM HERCLE EVOCABO HINC HANC SACERDOTEM FORAS, UT HANC ACCIPIAT URNAM.



Gratiarum actio Societati Latinae Saravipontanae et Fundationi Melissae, quibus invitantibus Thomas Pekkanen Bruxellis in aedibus Communitatum Oeconomicarum Europaearum die 14° m. Martii a° 1987° de Kalevala Latina acroasin feci.

Die quarto decimo Martio hoc mense
pedibus tetigimus solum Bruxellense,
postquam iter fecimus tres volantes horas
de Finnorum partibus in Belgarum oras.

Dein deversorium nobis praenotatum
taxiraeda petimus "Lambermont" vocatum:
apud viridarium iacet sedes illa,
fiat ut hospitibus requies tranquilla.

Dein dedi nuntium, sicut constitutum,
Gaio telephonice me venisse tutum;
mox Diana propere ad nos properavit,
autoraeda hospites domum deportavit.

Ibi liberaliter hospitalitate
advenae recipimur et humanitate;
statim lautum prandium sumpsimus et vina,
antequam inciperet sessio Latina.

Dum conventus consedet, agitat agenda,
poteramus ceteri visere visenda:
oblectabant oculos picturae modernae
in Museo celebri artis hodiernae.

Forum quoque vidimus paucis illis horis
et famosam statuam pueri minctoris;
nos Corinna comiter urbem pervehebat,
hoc itinerarium omnibus placebat.

Hora sexta sequitur acroasis nostra:
COE sollemniter nobis dedit rostra.
Auscultatum venerant homines permulti,
cruditae feminae nec non viri culti.

Vir illustris Missirus et humanus vere
sessionem incohat, iubet nos salvare;
dein Gaius dominus vocibus benignis
commendavit hospitem invitatis dignis.

Gaudeo Kalevalae cantus praesentare,
multis audientibus mea recitare:
quae Finnorum fuerat olim epopaea,
in Latinum reddita nunc est Europaea!

Comites, accedite mecum dictitatum,
Carelorum carmina prisca cantitatum!
Patet vobis semita, sulcus est sulcatus,
trames fractis frondibus sociis monstratus!

Eichenseer denique Saravipontanus,
rhetor stilo lucido Ciceronianus,
est hortatus hospites fine sessionis,
ut Latinam colerent linguam unionis.

Post conventum publicum, ceteris dimissis,
invitavit socios domum suam Missir;
ibi degustavimus potionem bonam,
postea perreximus urbis in cauponam.

Usque noctem mediam haec duravit cena,
erant grata fercula, sicut et lagoena;
saturis complacuit iam dormitum ire,
nos in deversorio somnus iuivit mire.

Ut illuxit denuo matutinus dies
et iucunda hospites recreavit quies,
statim post ientaculum domum Gaii rursum
autoraedis vehimur scandimusque sursum.

Ordinatum Macintosh nobis est monstratum,
quo programma lexicum iam erat curatum:
sic fit, ut vocabula Latina condantur
atque signis omnibus additis edantur.

Proximis in aedibus sacris monacharum
Idibus his Martiis nobis fuit carum,
quam Caelesti placuit missam celebrare,
sociis catholicis hanc participare.

Id, quod coram ceteris verbis declaravi,
meis nunc versiculis scriptis confirmavi:
si Latine fieret Dei cultus idem,
Lutheranus verterer in Romanam fidem.

In caupona prandio sumpto sine mora
proxima digressui iam urgebat hora;
sociis prandentibus valedixi gratus,
qui Bruxellis fueram hospes invitatus.

Autoraeda venimus in aeriportum,
meum aeroplanum antequam est ortum;
me Diana vexerat et Corinna comes,
quae nobis amabiles fuerant et comes.

Floreat Societas Saravipontana,
vigeat et valeat aedes Melissana;
Gaius, coniux, filiae vivant, stirps Licoppe,
Europaea folia cuncta crescant ope!

THOMAS PEKKANEN (sequitur p. 5)
quod meas cum Granivico relationes illustrat :

Cella, habitatio tempus per brumale,
licet transitoria, nunc, o cella, vale!
Cave tamen strictius, ne cui dicas umquam
die lunae dominum hic fuisse numquam!

Venit semper dominus die Martis curru
demum post meridiem, fateor susurru;
feria Mercurii, iam relicta sede
fugit hora decima properante pede.

Id quod una fuimus quaque septimana
tempus ita modicum, ut sit res arcana,
te constanter admonet erus abiturus,
nam sic erit animo bono, sic securus.

Per multos annos de carmine Latino longiore
scribendo cogitaveram, sed materiam idoneam
nondum inveneram. Appropinquante anniversario
Kalevalae 150° collega meus amicus Teivas Oksala,
filius supra dicti professoris, licentia docendi in
universitate Helsingiensi et Granivicensi ornatus,
me petivit, ut specimina Kalevalae Latine redderem,
quae in commentariis Finnicis "Kanava" anno festo
incipiente ederentur. Ergo mense Decembri anni
1984¹ primum Kalevalae cantum verti, qui iam
mense post publicatus est. Quomodo res postea
evenerit, in prologo Kalevalae Latinae narraui :
ipsius operis iucunditate in dies ita attrahebar, ut
desinere non possem, antequam totum opus
verterem. Ultimos versus die 16° m. Decembris a.
1985° transtuli, et opus typis impressum die 31° m.
Octobris anni sequentis in conventu Societatis
Kalevalensis publicatum est. Decem fere

Bene monet professor Suitbertus H. Siedl
(Latinitas 34, 1986, II p. 109) Summum Pontificem
Pium XII dixisse sacrorum administrum, qui
linguam Latinam ignoraret, reputandum esse
lamentabili mentis laborare squalore. Eodem fere
squalore mihi videntur laborare etiam historici et
philologi, qui Latinitatis turpiter ignari esse docti
affectant, quamquam is qui nihil didicit, vix
aliquid potest docere.

KALEVALA LATINA

(365 p.)

constat US\$ 33 + US\$ 6 (sumptus cursuales).

Peti potest a domo editoria
cuius inscriptio cursualis est:

Suomalaisen Kirjallisuuden Seura
PL 259
SF-00170 HELSINKI 17
Finland

Petitorio subiungenda est
Europaea assignatio argentaria.

Recordatio Olbiensis

(sequitur p.3)

se gerebant qui phonocasetas cuiuscumque generis
sed in primis de pronuntiatu restituto amplius
audiebant. Non prohibebantur in thermopolium se
conferre, dummodo in Castello manerent. Hoc
thermopolium minime videbatur. Exempli gratia
Moderator secundo die participes rogaverat quas
potiones cuperent; in insolitam rogationem
perpauci mentem intenderant. Quare vinum semper
defuit; quod maximo dolore affecti Thomam, qui
sero tandem intellexit Ferias Latinas non ad vinum
bibendum spectarent. Ut supra dixi, participes
postquam phonocasetas de pronuntiatu restituto
audiverant Moderatore annuente, in thermopolium
ibant; quare Moderator valde gaudebat, qui in
primis timebat ne participes La Crau irent; quod
periculum La Crau significaret intellegi difficile
erat. Nam non solum omnes adulti erant, sed La
crau est parvus vicus, quem nemo in tabulis
descriptionis Provinciae invenerat. La Crau
significat cum alienis convenire et in primis
Francogallice loqui. Participes paulatim
intellexerunt omnes has cautiones ad bonum suum
spectare. Itaque animo libenti asciverunt in pectore
adhaerens pittacium "Latine loqui" glutinare quod
se protegeret ut, si comparatio mihi concedi potest,
zona castitatis protegebat sponsulam in lecto
relictam a marito qui profectus erat, ut sepulcrum
Christi e manibus infidelium eriperet.

Noctu particeps in cubiculo suo, ut
monachus in cella, verbis solus relinquebatur, re
inveniebat a duobus usque ad sex culices, qui
nondum Latine loquebantur, sed pro flagellis eum
acerbe molesteque torquebant.

Hoc loco legens quaesiverit num participes
casti esse deberent. Re vera de hoc nihil participibus
dictum erat. Scilicet castitas minimi momenti
videbatur, quoniam, cum cubacula in quibus viri in
occulto virum in cubiculum mulieris reperi et vice
versa. Participes cogitatione defixi erant, quare
castitas tam minimi momenti esset, cum contra in
regulis monachorum tam maximi momenti sit.
Tandem intellexerunt nihil impedire quominus
participes commercia carnalia inter se haberent
dummodo comes non pulchritudine, inventute,
intellectu sed scientia linguae Latinae eligeretur et
finis non libido coeundi sed libido Latine recte
colloquendi esset.

Post septem dies particeps e multis indicis
consciis factus est Ferias Latinas non Ferias sed
itinerarium mentis ad contemplationem esse.
Cogitans de claris mysticis Catholicae religionis, in
primis de Sancta Theresia d'Avila et de eius
"Castello interiore" (non perperam locus ubi erat
"Castellul" appellabatur) sciebat sibi multos gradus
praetergrediendos esse ut Deum attingeret.
Praeterea sciebat Deum gratias suas facile non dare,
et mysticis plures annos, nonnumquam totam
vitam in eodem gradu manendum esse. In quo gradu
erat particeps? Quae gaudia servata erant iis qui
supremo gradu sunt? Oblivisci uxoris, mariti,
liberorum, muneris, in primis linguae nationalis et
semper et ubique Latine loqui iam significabat
identitatem suam perdidisse. Sed scortiae prioris
vitae manebant. Pronuntiatu restituto semper uti
et, quod difficillimum est, "u" pro "v" pronuntiare
hoc ultimus gradus erat, post quem principi unius
cuiusque rei oblito nihilo se mergere concedi
poterat.

Paola Marongiu

Florentina.

LINGUA LATINA IN HISPANIA

Nondum Hispania a Romanis capta longe lateque linguarum multitudo iuxta incolarum stirpes ostendebat, de his tantum ad nostra pervenerunt tempora sermones Vasconum vernaculi qui in Hispania atque Aquitania servantur. Rudes Vascones terras pauperes colebant qua causa Romani eorum obliti fuere, solum data occasione cum eis nundinas habuerunt, aut portu Flaviobrigae fluminis utebantur, unde ad dies wisigothorum fere intacti intra suos fines manserunt, ergo cum eis christianismus solus ingressus est. "His diebus Liuvigildus rex (573-586) Cantabriam ingressus provinciae pervasores interfecit, Amaiam (Vasconum) occupat, opes eorum pervadit et provinciam in suam revocat dicionem" (Ioannes Biclarensis. Chronica).

Iberi signa scribendi propria habuerunt, saltem qui ad meridiem et non procul a Mari Interno habitabant, ad nos quoque inscriptiones eorum pervenere quas legere possumus, nam cum signis phoenicibus graecisque quamdam similitudinem monstrant, cum aliis propriis ad linguam accomodatis suam. Scriptura haec semisyllabica dicitur, aliquando signis pro unaquaque littera, aliquando syllabics praedita. Apud Tartessos in saecula VIII-VII ante Christi adventum quaedam propria scriptura apparet. Ad partes quasdam Orientis solis meridionales alia ab eis deducta dabatur a saeculo IV a. Ch. quae in diebus Imperii Romani pro latina mutata fuit, quamquam tribus celtarum iam tunc hanc acceperant, licet nunquam hi propriam scripturam habuerint defectu inscriptionum deducatur et omnes auctores rei periti hoc modo opinantur.

Gades a phoenicibus circa 1.000 annum a. Ch. condita fuit; scimus enim hi loca commercii per hodierna ora Malacitana ad primam saeculi VIII a. Ch. medietatem condiderant.

Tartessorum splendor ad saecula VII-VI a. Ch. in Baetica provincia ignotis finibus cum scriptura propria illustrabatur, saeculo VI a. Ch. exeunte teter occasus eis occubuit et deleti sunt.

Carthaginenses seu Punici ad 814 a. Ch. Carthaginem condiderunt Novam, eorum urbi Carthagini similem facientes; ad 654 a. Ch. insulas Pittusas sibi statuerunt.

Denique Graeci colonias commercii saeculo VI a. Ch. ineunte ad Mare Internum amplissimo modo disposuerunt.

Hi populi alieni qui commercii fabricationumque causa in Hispania sedebant indigenis suam linguam, mores suos atque artes tradebant, quot ab eis recepere? Multa, quamvis enumerari capaces non simus. Alter alteri culturam suam tradebat, ac pro opportunitate multorum obliviscebantur...

Deinceps Hispania a Romanis capta lente linguas indigenas praeter Vascones, ut dictum est, pro latina perdidit, tempore suo omnibus suis in provinciis solus sermo auditur latinus. Iuxta auctores coevi "v" cum "b" confundere obtestantur, hoc est simili modo pronuntiabantur, cuius mos etiam nunc hispanis est. Quintillianus in Tarraconensi provincia natus pronuntiatum hispanorum durum fuisse commentatur (De Institutione oratoria 1,4,11), famam esse.

Nihilominus quondam alicubi dictiones latinas cum graeca, exemplum adducendo, intermiscuntur, sine arte dici possit. En aes seu lamina aerea Lascutae, nunc Alcalá de los Gazules in hodierna

provincia Gaditana, abhinc multis annis inventum, atque in Academia Lutetiae Parisiorum anno 1867 allatum fuit. Lacutani cum Romanis foedus contra Hastenses, prope eis incolas, quos armis vicerunt, panxere quod factum in aere litteris latinis commemoratur, ad graecum, *κοινη* modo appellatur, modus scribendi aliquoties vergit.

Textus transcriptio:

LAIMILVVS L.F INPEIRATOR. DECREIVIT
VTEI . QVEI . HASTENSIVM . SERVEI
IN . TVRRI . LASCVTANA . HABITARENT
LEIBEREI . ESSENT . AGRUM . OPPIDVMQVE
QVOD . EA . TEMPESTATE . POSEDISENT
ITEM . POSSIDERE . HABEREQVE
IOVSIT . DVM . POPVLVS . SENATVSQVE
ROMANVS . VELLET . ACT . IN CASTREIS
AD . XII . K FEBR.

Textus latina lectione:

L. Aemilius, L(ucii) f(ilius), imperator decrevit
ut ei qui Hastensium servi
in Turri Lascutana habitarent
liberi essent, agrum oppidumque
quod ea tempestate (= eo tempore) possedissent
item possidere habereque
iussit, dum populus senatusque
Romanus vellet. Actum in castris
ad XII K. Feb. (= 19 Ianuarii 565 ab U.C.).

Quum Hispania ad Romanam culturam plane se convertisset latinitatem ut aliquid proprium recepit. Tunc in ea Seneca, stirpis Romanae, Cordubae natus, ab aliis hispano-romanis appellatis nullo pacto differebat, Hispania Romana intrinsece est facta. Excipiatur durus eius incolarum pronuntiatum et Vascones qui ultra citraque Pyrenaeos montes suas dialectos latinitate exclusa retinebant.

Uti Romae alibique accidit alter latinus erat sermo, litterarii vocari licebit, a selectis usurpatur; alter loquaelae familiari paratus quo populus inter se utebatur, attamen haec omnibus in linguis dantur, etiam nunc.

Tempore premente et operante dictio latina ubique declinabat. In Hispania primae barbarorum irruptiones ab anno 411 noscuntur: gothi praesertim omnem illius terram cum suevis invasere, indigenis minores numeros esse, videtur, sed dominatum acceperunt plenum. Et wisigothi et suevi qui Hispaniam expugnarunt, ad finem primi alios plane vicerunt et subegere, mores suos barbaros quam primum amiserunt pro submissorum, adquisiverunt et linguam, quamquam minimis allatis suis, sic bellum pro "guerra" mutabatur, tantum unum afferendo exemplum.

His superioribus inspectis et hispano-romani et gothi vitam communem gerebant atque in connubiis se convenere. Lingua latina sub eorum dominatu in Hispania vigeat. Haec sequentia extracta eloquentur:

Sanctus Leander (v. 540-600) hispano-romanorum filius, praestantissimus vir qui etiam graecam sciebat linguam sic scribebat: "Miserum me doleo, qui ibidem communem fratrem misi Fulgentium cuius pericula iugi formidine pertimesco: tutior tamen erit, si tu, securior et absens, pro illo oraveris" (Regula eius 31,7).

De sancti Isidori fratris sui (v. 560-636) : "Si quis saepius peccantem viderit prius hoc uni vel duobus fratribus demonstret quorum testimonio possit convinci" (Regula ipsius 15, 1).

Sanctus Ildefonsus Toletanus (607-667), wisigothorum filius : "Animadvertite iam nunc, et lapideum pectus vel exempla lapidum findant, et vide quia haec omnino non aliud suis montibus, suis immutationibus, suis conatibus profitentur quam tu solus ..." (De virginitate perpetua sanctae Mariae 10, 1).

Sanctus Fructuosus Bracarensis (+ versus 665), gothorum origine : "Ferramenta vel ustensilia qualibet artificum sub uno recondenda sunt conclavi et custodia unius fratris industriosi et providi, quique segregatim illa idoneo conlocans loco prout res expetit, poscentibus ad operandum fratribus tribuebat" (Regula monachorum 5, 1).

Gothis haud praetermissis, in Hispaniarum provinciis iam tunc regno lingua latina longe lateque excolebatur sicut in selectis veteris Imperii regionibus Romani; ubique pristina dictio declinabat, licet pro locis partem peculiarem sectans.

His dictis anno 711 declinante regnum wisigothorum a mauris seu islamicis gentibus plane biennio aut in summo triennio peracto destruebatur et heri novi novas imposuere leges et linguam et religionem. Aliqui hispani et gothi nam inter se distinctionem non quaerebant in montibus Asturibus contra mauros extabant et regni wisigothorum successores esse semper fatebantur, unde alteram expugnationem sane pararunt. Certis annis transitis ab eis nova contra mauros sublevatio in Barduliis nascebatur. "Bardulies quae nunc appellatur Castella" (Chronica Adephonsi III, redactione Rotensi). In Pyrenoeis montibus similia circiter ferebantur. Denique Carolo Magno (+ 814) agente Marcha Hispanica a mauris, armibus regis Francorum victoribus, instaurabatur, quae culturam cuiusque generis sit a Francis deducebatur. Caeteri nuclei defectionis a wisigothorum regno. Omnes ergo linguam latinam retinebant quamquam in dies declinaret, praecipue quibus in montibus vitam sub armis debebant suam ac praestigium extincti regni wisigothorum.

Ecce aliqua exempla latinis, ex quibus Beatus Liebanensis (+ 796), monachus in Asturum regno (in montibus Liebanae) eminuit : "Quod si discutere volueris et rationem de Deo et homine facere presumseris (sic), continuo in laqueum perditionis inmergeris (sic)" (ex libro eius contra Elipandum).

Etiā : "Ego Vitulus abba ... una cum congermano meo Ervigio, presbitero, cum domnos et patronos meos S. Emeterii et Celedoni, cuius basilica extirpe manibus nostris construximus"; (e Chartulario Cogollensi, c. annum 800). "Nunc igitur nos edificavimus hunc atrium Sancti Martini; fecimus ergo domus et exalidavimus ecclesias per manibus nostris" (e Chartulario Cogollensi, anni 807). "Et construxi ibi cenobium cum meis gasallanibus" (ibidem, anni 852). "Quando populus de Bergido cum illorum comite Gatone exierunt pro Asturica populanda" (Scriptura die decimo Novembris 878 signata, apud Espana Sagrada Patris Florez, XVI, 424); hic "populanda" destruenda non significat sed agenda novis incolis Bergido procedentibus.

Post libros Beati Liebanensi (+ 796) ad annum usque 850 non sunt, saltem ad nos non pervenerunt, interea scripta alicuius generis breviora solum habemus.

Tunc anni iuxta aeram hispanicam enumerabantur, sic in Annalibus Compostellanis (saec. X) : "... qui Albutaman (= Abu Otman) occisus fuit era DCCCXLIII in Pisuerga (= flumine Pisoraca), quando venit in Bardullas". Fere duodequadraginta annos supra tempus nostri definiti computi, hoc est Abu Otman anno 843 aerae hispanicae obiit, iuxta nostrum 806, circa 807, nondum inceptum.

In quodam codice in monasterio Silensi asservato saeculi X haec de exordio excipiuntur : "Haec sunt quae ut observetis precipimus in monasterio constituti. Primum propter quod in unum estis congregati ut humanimes havitetis in domo, et sic vobis una anima et cor unum in Domino. Et non dicat aliquis aliquid sibi proprium, sed sint vovis omnia communia, et dixerit unicuique vestrum a preposito vestro victus et tecumentum".

"Si quis vero, quod absit, an nos an filii an aliqua potesta ausu temerario hunc votum nostrum confringere niterit, vivens suis a fronte careant lucernis, postquam picea non evadat baratri pena; insuper dampna secularia afflicto inferat parti ecclesiae tantum quantum auferre conaverit. Facta cartula testamenti sub die quod erit Kalendas januarias, era DCCCCLXXII^a (= 934 nostri computi), regnante dompno et principe nostro Ramirus et Fredenandus comite in Castella" (Annalibus Castellanis I, saec. X).

"Sed quoniam viribus militum impares erant, adeo quod Fredinandus Veremundi impetus ferre non valeret, auxilia fratris sui Garsiae ad expugnandum hostem obnoxius poscit" (Chronica Silensis saec. XI).

"Hic requiescit Famulus Dei senior Fortunio Enneconis, principis serenissimi regis Sancti fidelissimus, qui obiit in era MLXXVII (= 1039) die vero Kalendas januarii. Quisquis haec legeris, pie memorare ne desis" (quoddam epitaphium).

Lente procedendo latina lingua communis corruptam loquelam dictionemque praebebat, quae latinitas vulgaris dicitur, hac populus sine cura utebatur, secus cleri et litterati latinitatem adhuc valde exornatam inter se atque in scriptis observabant, nam populus simplex, in extenso apponatur, neque legebat neque scribebat. Sic de latinitate vulgari permultae sublinguae apparere imperfectoque modo incipiebant. Sane per multa saecula sermo latinus vera lingua communis populorum, quasi universalis comprehensionis, fit.

Vetus wisigothorum regnum a mauris captum (711-713) festinatione quadam linguam "sanctam" victorum discebat atque in suis usurpabat. Die undecimo Novembris anni 711 ultima missa solemniter in cathedrale Toletana celebrabatur. Permuli christiani in sectam vitricem transiebant, ceteri inter mauros miscebantur sed eis vita publica linguam arabicam obstrinxit, qua de causa alteri novo vinculo premente rerum latinae linguae obliviscebantur. Alteri domi latinam linguam privatimque usurpabant, in viis arabicam. Duo hoc in loco animadvertenda : qui christiani cum mauris vivebant et muzarabici modo agnoscuntur latinam linguam usu amoto derelinquebant aut privatim quadam arabica latinaque mixtura utebantur; ipsi quoque et qui ad islamismum converti sublinguam arabicam sane confecerunt, quam periti hodierni dialectum cordubensem (arabicam) denominant, atque in ea rari codices ad nos usque scripti pervenerunt, quos cupiditate requiruntur.

Dum per extinctum Romanum Imperium Occidentis

saeculum nonum incultura eminebat, quamobrem saeculum ferreum historiae periti appellare assuescunt, Byzantii et Cordubae splendor scientiarum litterarumque seligebatur ac sane fulgebat, qua de causa ad duas civitates cruditi adire non dubitabant. Hoc saeculo quaedam schola Cordubensis praestigium ostendit singulare uti etiam ignota latinitas ore et calamo, omni sapore arabico praetermisso, christianis dispensabatur.

Gratia compingendi latinitatem sub mauris ad finem usque eius, sequentes scriptores selecti afferuntur:

Evantius (+ 737) archidiaconus: "Quod si forte obiciunt ista in chanonibus contineri, nec ego me ista scire nescio, sed in anticorum libris vel chanonibus, quando noba ex circumcissione et preputium suadebatur, qui adhuc non solido cibo, sed lacte nutriebatur" (ex eius epistola "contra eos qui putant inmundum esse sanguinem").

Elipandus (c. 718-800) Toleti metropolitanus, adoptionismi pater, qui a parentibus latinum sermonem prout in diebus wisigothorum regni receperat, simulque vero arabicum a mauris, a pueritia simul utrumque didicerat. "Verum tamen antequam ad nos scribita vesania tua perlata fuisset, antequam odor verborum tuorum nobis fetidissimus adspirasset rumore percurrente vulgi insipientis nonnulla ad te recta esse credebamus" (epistola Migetio cretico directa: circa 782 scripta).

Beatus Paulus Alvarus Cordubensis, laicus et matrimonio alligatus (+ 861/862): "Anteriorum meorum, serenissime domine, erga nos amicabilem dulcedinem recolens et affectum glorie vestre in nostrorum compassionibus vulnerum sepius conprobandans, hos inertie me continuos apices inculto sermone digestos et inpolito textu confectos vestre decrevi presentie destinandos, per quos et caritatem repriorarem nostre miserie et..." ("epistola Albari Romano medico directa").

Sanctus Eulogius Cordubensis, metropolitanus electus Toletanus, martyr (+ 859) scholae illustris huius suae patriae magister ac presbyter, qui latinam et arabicam loquebatur linguas: "Hinc ad te, frater carissime, arbitrum scientiolae meae iustissimum, opus ipsum vilibus adhuc membranis digestum (de Memoriali sanctorum, eius libro, dicit) primo procuravi transmittere, ut fraterno elimatum iudicio si probaveris, pateat; si reprobaveris, taceat..." ("epistola Eulogii ad Albarum Cordubensem").

Samsou (810-890), abbas ac presbyter, regis Cordubae linguis arabicae latinaeque interpres, illustris scholae suae urbis magister: "Opusculi huius adgressurus initia te, Sancte Spiritus, mihi in auxilium supplico, sine quo nullum bonum vel incipere vel proficere vel finire posse cognosco. Te enim inluminante omnibus orthodoxis (sic) datur fidei donum et vere credulitatis initium" ("Apologeticus I", anno 864 scriptus).

Leovigildus presbyter Cordubensis, sanctis Eulogio, Alvaro et Samsoni contemporalis: "Si quis agnoscere vult corone misterium, acuet mentis suae prius ingenium, quia ideo in vertice hominis elebatur propter quod celsius sacramentum inponitur, et nisi interrogans totus fuerit secum, non eius decenter pertinet fastigium" ("De habitu clericorum liber").

Christiani sub mauris post saeculum undecimum quoquo modo sit sit dispersantur aut in sectam recipiuntur eorum, et non pauci migraverunt.

Gundisalvus de Berceo (v.1195-p.1264), presbyter a

recente Rioxa (hodie Rioja) ubi natus erat, incipiente Castellae lingua, quae modo hispana ab omnibus vocatur, haec scripsit:

En el nombre del Padre que fizo toda cosa,
E de Dom Jesucristo, fijo de la Gloriosa,
E del Spiritu Sancto que egual de ellos posa,
De un confessor sancto quiero fer una prosa;
Quiero fer una prosa en roman paladino,
En el cual suele el pueblo hablar a su vecino,
Ca non soy tan letrado por fer otro latino,
Bien valdra, como creo, un vaso de bon vino.
Hoc est:

In nomine Patris qui omnia fecit,
Et Iesus Christi, filii Gloriosae (Virginis),
Et Spiritus Sancti, qui idem eis est,
De quodam sancto Confessore (Dominico Calceatensi) poema agere volo;
Volo poema agere in sublingua vulgari,
In qua populus cum proximo loqui solet,
Quia tam litteratus ut aliud latinum agam non sum,
Credo mihi bene sit (ut bibam) vas meri.

Postquam Studia Generalia seu Universitates in regnis christianis eminuissent (Palentiae 1212, 1221; Salmanticae 1230, 1255) cultura latinitatis; cum caeteris, ad fontes vergere quadam festinatione incepit, unde populus sermonem latinum perdidit refecere. Nondum lingua Castellae documenta inscribebantur sed penitus latine.

Ioannes a Turrecremata OP. (1388-1468) in concilio Florentino praesertim sua scientia theologica eminuit, cardinalis presbyter sancti Sixti (1439) episcopus Palentinus (1455) sub Calixto III, denique sub Pio II cardinalis episcopus Sanctae Sabinae, hispanus natione per multos annos Romae vitam degit suam, permulta opera latine scripsit. "Latinorum responsio ad libellum graecorum" in concilio Florentino, oecumenicorum, die 4. VI. 1438 pronunciavit. Eius opus princeps "Summa de Ecclesia" (1448-1449).

Antonius Martinez de Cala (1441-1520) se ipsum Aelium vocari voluit et sua origine Nebrissensem sive Lebrissensem (Nebrissae natus, hispanice Lebrija). Salmanticae Bononiaeque sua studia fecit, attamen post cursum 1513-1514 Complutensi Universitate ad mortem usque docuit. Inter opera sua quae Latinitatis sunt praetermittere non licebit. "Introductiones latinas" edidit (1481) a quibus in vernaculam hispanorum linguam accomodavit "Grammatica castellana" (1492), prima Grammatica cuiuslibet linguae vernaculae fuit. Duo vocabularia, latinum-hispanum atque hispanum-latinum (1492, 1512) ingenti verborum utriusque linguae numero praedita: "Quanto ingenio et eruditione fuerit Magister Petrus oxomensis, nemo est qui ignoret: cum post Tostatium illum ex Salmanticensi scholastico Episcopum Abilensem omnium iudicio apud nos fuerit nostra aetate in omni genere doctrinae facile princeps" ("Apologia eorum rerum quae illi obiciuntur").

Inter mulieres Beatrix Galindo (1475-1534), "Latina" ab omnibus noscetur, eminuit; Francisco Ramirez de Madrid matrimonio alligata, reginae Elisabet Catholicae quondam latinitatis magistra. Nullum scriptum ad nos pervenit suum, tantum testimonia coterporalium suam pervolant famam.

Sic aliqua verba Francisci Vallesii Covarrubiani (1524-1592), "medici Philippi II Hispaniarum et Indiarum regis", cathedraticus Facultatis Medicinae Complutensis suo in libro "De iis, quae scripta sunt physice in libris sacris, sive de Sacra Philosophia. Augustae Taurinorum MDLXXXVII": "Non enim

E civitate vaticana

Quid Summus Pontifex,

Kalevala Latina accepta, dixerit

Ioannes Paulus II, postquam die 14^o mensis Ianuarii in Civitate Vaticana Kalevalam Latinam a delegatione Finorum accepit, ad ea, quae princeps cancellarius Jaakko Numminen illi rettulerat quaeque in Melissa numero 15^o narravimus, haec respondit:

"Laetanti admodum animo audivi, quae nunc nuper significavisti, scilicet benevolentiam atque favorem, quibus nobilis Finnica terra, cuius merito eximius gloriaris filius, Romani sermonis venustatem maestatemque persecuta est, atque humani cultus singularem vim est imitata per saeculorum decursum. Qua autem es observantia, Gentis tuae officiosi studii specimen mihi protulisti Finorum nationis epicum carmen, cui titulus "Kalevala" nuperrime in Latinam linguam versum, sub centesima et quinquagesima anniversaria memoria confectionis eiusdem poematis.

Iuvat sane haec omnia recolere, perplacet profecto experiri voluntatem in antiquorum litterarum monumenta intentam, ad veram populorum Europeorum animi hereditatem hauriendam.

Tibi ergo, Egregie Domine, atque clarissimis Viris nomine Finnicae rei publicae argenteum numisma atque epicum carmen patrium, Latinis litteris expressum, muneri mihi condonantibus, et gratias ego quam plurimas et gratulantem vocem pando ob diuturnam perpetuamque consuetudinem quam adhibetis in humanis litteris colendis. Ne animo deficiatis: quod maiores vestri iter aggressi sunt, praesto vobis est persequendum, ad altiora usque mente comprehendenda, adque Evangelii pacisque nuntium longe lateque prolatandum."

Radiophonia Vaticana eodem die de Kalevala Latina Summo Pontifici donata triginta sex linguis per totum terrarum orbem nuntium emisit.

Post Summi Pontificis audientiam legatus Finorum apud Sanctam Sedem Carolus Yrjö-Koskinen in eius rei memoriam in Villa Lante hospites recepit, inter quos eminebant latinistae celeberrimi, ut Carolus Egger, Suibertus H. Siedl et alii. Potridie eius diei in eadem villa, quae sedes est Instituti Romani Finlandiae, acroasis publica "De religionis Christianae in Kalevalam relatione" a professoribus Väinö Kaukonen et Thoma Pekkanen partim Italice facta est.

cus proposito tanto gaudio affecti fuerunt Latinitatis fautores, ad me, nimirum Nederlandice, rescripsit se non iam legatum esse; se procuratorem regionis Hollandiae Meridionalis esse; se illa in regione copiam linguae Latinae favendi non habere; sibi persuasum esse fore ut lingua Latina, si in aliis terris refloresceret, et in Nederlandia certe revivisceret. Ille vir ornatissimus nescioquid cui non faveat florere posse putat. Quod si verum esset, Latinitas floreret in Nederlandia. Vale.

Tristior dabam ex vico Baarnensi,

Mense Febr. a. 87¹.

E NEDERLANDIA

Epistula e regione ultrarhenana tertia:

Berendus Ianus Visser lectori S.P.D.

"Quis non fleret ..?" Facere non possum quin his verbis exordium faciam pericula expositurus, quae Latinitati apud nos imminet. Magna spe et gaudio omnes Latinitatis fautores affecti fuerunt anno millesimo nongentesimo septuagesimo sexto cum Batavus apud Communitatem Europaeam legatus proponeret, ut gentes Europaeae in conventibus Communitatis lingua Latina uterentur. Cuius gentis legatus proposuit id, quod omnes Latinitatis fautores vehementer optamus, ea nimirum, ut lingua Latina quam optime in scholis discatur, omni ope contendit. Pro dolor. Quod omnes sperant vel potius exspectant, nonnumquam verum non est. Qui latine loqui possunt, apud nos non sunt. Multi magistri linguam Latinam docentes translationem e Latino in Nederlandicum sermonem difficiliorem esse putant, quam ut a discipulis exspectetur. Quamobrem ab eis proponitur, ut opera Vergilii, Horatii, Taciti in Batavum sermonem conversa legantur, res cognitu dignas et conversionibus cognosci posse perhibentes. Brevi autem revera quae scripserunt Romani non nisi in Batavum sermonem conversa legere poterunt cives mei. Administer enim ad cuius officium educatio pertinet, ut omnes duodecim annos nati de eisdem rebus in quarum numero lingua Latina non est instituatur, suadet. Post triennium demum pueri atque puellae, qui ut ita dicam, paulo tardiores sunt, eis, qui scitiores sunt, non iam erunt impedimento. Sed per tres sequentes annos id, quod ante disci debuit, discendum erit eis qui in Academiam transire volunt. Minime multi tum linguae Latinae vacabunt. His miseris compulsus epistulam misi ad Acta diurna, quorum moderatores de bonitate et virtute sua maxime gloriantur. Cuius epistulae haec est exemplum:

"Quis non fleret ..? Hoc tempore quo allae Europae gentes Latinitati antiquae necnon novae favere rursus incipient, in Bavaria ludi Latini hilarissime agantur, in Belgica Fundatio c.n. Melissa studeat ut homines Europam incolentes lingua Latina (adiuvante) in societatem vere Europaeam convocentur, apud nos proponitur ut discipuli linguam Latinam discere incipient tum demum cum facultatem linguas facile discendi non iam habent. Haec proposita eis qui linguam Latinam docent, maximo dolori esse mirum non est. Quaecumque autem dicunt illi ut orationem pro domo non flocci faciunt homines. Eat clamor caelo eorum omnium quibus humaniora cordi sunt. Epistulae barbarice aut latine scriptae mittantur ad me ab eis quibus proposita ad scholam quae vocatur mediam pertinentia non placent. Quaecumque rem plures efficere velint, ei occurrere non posse meliores scio, sed ne posteriores dicturi sint stetit per meliores quin istis propositis intercessum esset, caveamus! Vale."

Nescio an moderatores sententiam epistulae meae non intellexerunt, quippe qui inscriptionem cursualem omiserunt et titulum mutaverunt in "Lingua Latina", videlicet ut eis error demeretur, qui epistulam lingua Iaponica scriptam esse putarent. Si autem diurnariis levitas obicienda non est, quid si decem tantum responsa ad me missa sunt, nullum ex quibus satis Latine scriptum? Vir ornatissimus

SEDES STUDIORUM NEOLATINORUM
UNIVERSITATIS STUDIORUM SARAVIENSIS
invitat Latine doctos ad

symposium

participandum, quod erit
de incremento linguae Latinae
post tempora humanismi facto.

Quod symposium fiet
die Veneris, 28. m. Augusti 1987,
et insequenti die Saturni, 29. 8. 87,
in oeco quodam

Universitatis studiorum Saraviensis.

Singuli universi, quorum hoc rerum et
quaestionum interest,
enixe rogantur,

ut hoc biduum sibi reservent liberum.
Invitationes separatae cum programme
ineunte anno 1987° exhibebuntur.

Quoad quaestiones et interrogationes:
numerus telephonicus
(49)-(0681) 302-3392

(Dr. Caelestis EICHENSEER)

Inscriptio cursualis:

Societas Latina
Universität-FR 6.3
D-6600 Saarbrücken 11.

LINGUA LATINA IN HISPANIA (sequitur p. 14)

intelligendum est, illud corpus hominis, in quod
spiravit Deus spiraculum vitae, fuisse statuum,
quandam luteam, eamque accessione ex ossibus,
nervis, carne et cute, non quidem aridis, sed floridis
ac virentibus, immovile tamen adhuc et sensus
expers: et haec, accedente spiritu recepisse".

Permuli hispani in concilii Tridentini partibus
arcte latinitate utentes docentesque interfuere;
attamen quum de lingua scientifica tractetur, ut
nostris diebus dicitur, dictio conscisa invenitur seu
traditur. Fere omnia scientifica et religiosa latine ad
saeculum XIX circiter describebantur. Saeculo XIX
quasi dimidiato ad religionis praesertim
Theologiae, iuris et Philosophiae quaestiones
latinus mansit sermo ut communis lingua, quae res
ad concilium usque Vaticanum II viguit, post hoc in
odio cecidit.

Eustasius Sanchez Villaran.

Matritensis.

UBI CONDISCATUR LATINE LOQUI

SEMINARIA LATINA

Dr. P. Caelestis Eichenseer hoc anno moderabitur duo
seminaria, ubi sua solita via iucunde docebit sermonis Latini
usum cottidianum:

-26/7 - 1/8/1987, Morsaci (Morschach) in
HELVETIA, qui locus saluberrimus aliquibus centum
quingaginta metris supra lacum "Quattuor Regionum" situs est,
unde montium clivi bene accessibiles sunt maximeque mirabilis
prospectus ad lacum ipsum et ad montes circumiacentes
praebetur. Ad quod participandum, interroganda est:

Erica ROTH
Aeschistr. 6
CH- 3110 Münsing
Tel. 031/920823

-15/8 - 22/8/1987, Vestendae in BELGICA
(ad litus maris harenosum), ubi pernoctatio victusque in hospitio
communi relative parvo constant. Ad quod participandum,
interrogandus est:

Dr. Gaius LICOPPE
Av. de Tervueren, 76
B-1040 Bruxelles
Tel. 02/7350408

Pro ipsa institutione unius septimanae 120 Marcae Germanicae,
quae pecuniae summa mittatur ad hanc sedem nummariam: VOX
LATINA 18353-661 Postgiroamt Saarbrücken-Deutschland.
Pecunia pro habitatione et victu solvetur in ipsis deversoriis vel
hospitiis.

FERIAE LATINAE

-17/8 - 24/8/87,

P. Suitbertus a S. Joanne a Cruce Férias Latinas
moderabitur. Propter refectionem Castelli "La Castille", Férias
Latinae hoc anno Nicaeae celebrabuntur, in Universitatis
Nicaensis aedibus quae vocantur: "Résidence universitaire Saint-
Antoine".

Schedae inscriptionis rogandae sunt a:
Clemente DESESSARD
Résidence des Collines, 9
Rue Léon Brun
F-06210 MANDELIEU.

QUID NOVI IN FUNDATIONE MELISSA.

Inter recentes Foundationis
adsocios numerantur duo
munifici, Erikus PATTEEUW et
Alaenus VAN DIEVOET. Chartae
sodalium tandem impressae sunt;
eorum aspectus hic
demonstratur. Singuli sodales
eas mox accipient. Cunctis
gratias agimus singulares.
Pergite novos sodales exquirere
atque allicere; est enim condicio
sine qua non ad pondus nostrum
augendum...

